

264

262

268

concutiente corruit<sup>1</sup>, unde Soldanus rex Aegypti, cum insulam invasisset, ex fracturis hujus statuae naves oneravit et in Lyciam dicens camelis imposuit nongintis et terrestri itinere per regiones Lyciam, Pamphiliā, Ciliciā, per portas Tauri montis, juxta Aegeam civitatem, quae in capite maris est supra sinum Issinum ingressi Syriam, per Syriam, Galilaeam, Palaestinam, Arabiam, usque in Alexandriam Aegypti dicens, totum pondus asportavit.

Civitas haec Rhodon multis olim excellentiis claruit, praecipua autem fama Colossi exstitit, robur etiam et habitatorum probitas, et civitatis firmitas et glebae fertilitas. Unde hanc antiqui Graeci et potentes Romani amicos habere satagebant. Est enim insula haec tamquam caput et regina omnium insularum, quas Cycladas nominant, per gyrum maris aegei sitas. Nam CIV insulae simul per circulum sunt constitutae in mari Hellespontico inter Aegeum mare et Maleum, vel sinum maleaticum, quae dicuntur Cyclades, quas ideo Cycladas autumant esse dictas, quod licet spatiis longioribus a Delo, quae in medio earum est, porrectae sint, in orbem tamen circa Delum sitae sint, nam orbem Graeci cyclum vocant. Quidam tamen dicunt, eas sic vocatas propter scopulos, qui in circuitu earum sunt. Circumdatae autem sunt pelago Myrtheo et tendentes a septentrione in meridiem. Faciunt spatium quinquaginta millia passuum, ab oriente vero in occidentem totidem, secundum Isidem. Ab oriente finiuntur littoribus Asiae Minoris, ab occidente mari Icario, a septentrione mari Aegeo, a meridie mari Carpathico. Prima vero inter has insulas ad orientem est Rhodus, ad septentrionem est Tenedos, ad meridiem Carpathos, ab occasu caeterae, media vero est Delos. Non autem omnes hae insulae sunt aequales in magnitudine, sed aliquae magnae sunt, aliquae parvae, aliquae habitabiles, aliquae non solum non habitabiles sed inaccessibles propter importunitatem. Jam nominatores describam, longam enim in his insulis habui navigationem, ut docebit processus, et ideo ante earum ingressum me expediam de eis incipiendo a capite.

#### Rhodiae insulae descriptio.

Rhodus praeter ea, quae dicta sunt, est insula prima Cycladum et caput earum, siquidem ut veterum habent historiae, cum

